

49 Hist. lit.  
1391

4<sup>o</sup> H. lit 1391.



MEMORIA  
VVVRFBAINIANA,  
Scripta  
ab  
E. R.



Em neque novitate inusitatam , neque indecoram  
justitia, neque pietate inofficiosam aut inviden-  
dam aggredior , dum Viri de re Medica excellen-  
ter meriti, illustris IOANNIS PAVLI VVVRF-  
BAINII, Archiatri Caesarei et LEOPOLDINAE  
Academiae Naturae Curiosorum Ephemeridum Directoris splen-  
didissimi, vitam bene actam et fata laudabilia posteris commen-  
dare allaboro. Ita enim veteres, sano rationis judicio suffra-  
gante, sapientissime censuerunt, defunctorum res bene lauda-  
bilerque gestas posteritati commemorandas esse, tum ut de-  
biti virtuti honores habeantur, tum ut posteri ad honestatis ae-  
mulationem accensi virtutis stadium pari contentione decur-  
rant. Atque hoc tantum apud Rōmānōs iudicium valuit, ut  
plebs, iniquus alias ingenuitatis censor, fraudari sollemni ho-  
nore supremum diem Appii alicujus nollet, et laudationem  
tam aequis auribus mortui audiret, quam vivi accusationem au-  
dierat. Adeoque nobis iure multo potiori incumbit, nobis, in-  
quam, incumbit, qui in conditae vulgi turbae recte agendo et  
disciplinis emollii eminere cupimus, ne laudatissimi Viri laudes  
et decora honeste parta, una cum corpore sepeliri patiamur.  
Quamvis enim ipsa jam virtus satis laudata nostro praeconio  
haud egeat: cum tamen tempus edax rerum omnia consumat,  
reique praestantisimae memoriam vetustate aboleat: (cui enim  
heroum suo saeculo invidendorum praeclara facinora hodie in-  
notescerent, nisi literarum beneficio memoria eorundem ad nos  
esset transmissa;) beatis utique Viri summi Manibus hoc extre-  
num nos debere officium rati sumus, ut pro virili parte brevi-  
ter et sine fuso, quo virtus haud egerit, enarrare institueremus,  
quae per omnem vitam gloria  $\delta\mu\alpha\pi\epsilon\tau\eta\varsigma$  egerit, quae lauda-  
bilia designarit. Tua igitur, Lector Benebole, aequitas a nobis  
concinnam verborum texturam lenocinantemve sententiarum  
pompam haud exspectabit: plane et aperte dicturi, annorum  
seriem secuti, cuncta paucis complectemur.

Patriam praeclaris ingenii illustrari, et ab ea in haec vicissim  
multum splendoris derivari, apud omnes in confessu est. Magna  
ita-

itaque felicitatis pars reputanda, non in obscuro Boeotiae angulo, sed in luce Graeciae hominumque natum esse et educatum. A puero siquidem ingenia fingenda, et ad honestatem cultosque mores polienda. Atque hac VVVRFBAINIVM nostrum beatitate jure merito gloriatum esse, constat, utpote qui d XIII. Decembris Anni supra millesimum sexcentesimum quinquagesimi quinti in hanc lucem editus est Norimbergae, sacerrimo Germaniae oculo, quae foecunda artium et ingeniorum praestantissimorum mater laudis nostrae haud indiget, ab aliis et olim et nuper abunde laudata, ac fere ad caelum usque sublata. Pro nostro tamen, quo in eam ferimur, amore non possumus, quin perennitatem illi comprecemur, atque ut in ea diutius quam Athenis, nobilissimo Graeciae emporio, artes bona eque literae, quolibet adamante firmiora rerumpublicarum fulcra, foveantur ac florant, ex animo voveamus.

*Indignum neque Eum series imbonora parentum  
obscurum proavis, et priscae lucis egentem  
indota de stirpe tulit.*

Patre etenim editus est Viro nobili amplissimoque, IOANNE SIGISMVNDO, qui post quatuordecim annorum itinera ex India Orientali rediens, navi cuidam negotiatoriae mercator navicularius dari, et paulo post in patriam redux ob insignem mercaturae faciundae peritiam judicibus, qui cambii negotia ibidem utiliter tractant, adjungi meruit. Avum Noster coluit Virum ob exquisitam et excellentem Iurium, Historiae, temporis, illustrissimarumque originum cognitionem Viris principibus charum; nobilissimum, perstrenuum, et consultissimum LEONARDVM VVVRFBAINIVM, ICtum et Consiliarium Noricum, scriptis multiplici eruditionis genere editis undique aequaliter celeberrimum. Matrem habuit natalium honestate virtutumque ornamenti lectissimam feminam, MARIAM, natam Puziam. Prima piissimis parentibus cura fuit, ut, qui sacrum pro punctione amabilissimo foedus cum Supremo Numine feriret, spectatae virtutis virum humanissimum, IOANNEM VVINTERVM, mercatorem praecipuum, sponsorem exorarent. Filiolo recens nato in sa-

crorum Christi communionem recepto , cum id agere vellent felicissimi parentes , ut digne homine , eoque sacris Christianis iniciato , educarent , veraeque pietatis semine mente tenellam imbuerent , e vivis , cheu ! nimium mature uterque Parens sublatu s est ; et prior quidem mater anno c 15 100 LVIII ; pater vero triennio post : ita ut nondum sexennis provida cum paterna tum materna educatione et institutione orbaretur . Parentum autem vices in se suscepere Tutores atque Curatores fidissimi , nobilissimique , Ioannes Leonardus Linckius , Consiliarius Noricus , mu neric dignitate virtuteque gravissimus ; et Ioannes Conradus Büt nerus , illustribus rerum provincialium Curatoribus Noricis a se cretis expeditionibus . Praecipue vero indulgentissima matre usus est Catharina , amita sua , egregio pietatis exemplo , Machao nis Norimbergensis dexterimi , Ioannis Roetenbeccii , vidua , quae tanto eum amore prosecuta est , ut educationis taedium non tantum laboremque libenter susciperet ; sed et septuage naria major moribunda VVVRFBAINIVM supellectilis libra riae , a marito desideratissimo ipsi relictae , haeredem scriberet : rata non alii certissimum hoc amoris pignusa se rectius deberi , quam illi , qui se insigni praeter ceteros pietate et obsequio ve neratus esset . Atque veneranda haec matrona uti nihil intermisit eorum , quae corpori curando inserviebant : ita consilio laudatissimorum tutorum adjuta , multo majorem ani mi formandirationem habebat . Neque immerito : Quanto enim hic illo praestantior ; tanto majorem sibi curam et cultu ram poscit , ne incultus vitiorum fentes proferat . Informationi igitur primum domesticae , mox publicae doctorum fidissimorum , qui tum in Gymnasio Egidiano florentissimo bonis juventutem literis imbuebant , traditus est . Cumque praceptoribus Spiesio , Frischio , Sensheimero , VVidmanno prorectori , et Heldio rectori per aliquot annos fidem et industriam probasset , artiumque elementa ab iisdem fideliter feliciterque edoctus esset ; animus doctrinae gloriaeque avidus intra ista subsistere non poterat : illa etiam nosse cupiebat , quae utcunque olim sibi profutura providebat ; istorum rationibus neuti-

neutquam subscribens, qui, ut honoris apicem citius contингant, primaria tantum summeque necessaria disciplinae capita uno veluti haustu exhaustire satagunt; reliqua omnia tanquam superflua et inutilia miseri contemnunt aut negligunt. Noster vero exemplo magnorum virorum et Pythagorae potissimum, quem puerum ad citharoedum, palaestritam, pictorem missum sciebat, provocatus, artem scribendi, qua et se et alios multum deinde reficiebat, ab Ioanne Ludovico Fabro, festivi ingenii poëta eoque felicissimo addidicit. Addidicit Musicam, dignum homine ingenuo oblectamentum: neque pingendi artem negligebat, cuius peritia ipsi per omnem aetatem vehementer profuit, ejusque studium, quod in naturae historiam dignoscendam posuit, mirifice levavit, auxit. Ita bene excultum VVVRFBAINIVM suum e sinu dimisit amantissima amita, eumque ulterius poliendum commisit excellentissimis doctribus Altorfiniis. Altorfinae Musae dum mentionem injicimus, ingentianimus voluptate perfunditur, recordatus ornamentorum, quae in nos largissime contulit. In nobis enim ultra bina lustra fovendis atque ornandis tota fuit laudatissima haec studiorum nostrorum mater; id quod grata mente hic praedicare omnino debuimus. VVVRFBAINIVM vero nostrum dux atque socius anno 110 120 LXXIII Altorfium comitatus est M. Daniel Guilielmus Mollerus, qui tunc ob sacrorum professionem solum verterat, et in almam Norimbergensium urbem se tanquam in portum receperat. Hospitii jura contraxerunt cum acutissimo Philosopho, Ioanne Paulo Felvvingero, eodem tantisper usi, dum Mollero, (quem Sacri Palatii et Consistorii Caelarei Comitibus, itemque Academiae Naturae Curiosorum Collegis adscriptum hoc ipso mense Februario A. 1712 beate defunctum lugemus,) Historias et Philosophiam primam docendi provincia ab illustribus Academiae Altorfinae Curatoribus injungeretur, et is tori curarumque sociam sibi adseiceret: ex quo tempore mensae communione cum fido suo Achate fruebatur. Ad studiorum rationem quod atrinet, eam semper tenuit Noster, ut philosophiam cum medicina conjungendam esse crederet. In

quo Galeno , qui solida rerum divinarum humanarumq; noticia imbutus erat , recta monenti obtemperavit . Et certe quo jure has disciplinas arctissime conjunctas separabimus ? Hippocratis auctoritate , quem primum id tentasse legimus ? Diffteri tamen ipse Asclepiadarum princeps nequit , Medicum Philosophum aut deum esse , aut deo similem . Diffiteri nequit Celsus , primo medendi scientiam , sapientiae partem habitam , et morborum curationem et rerum naturae contemplationem sub iisdem auctoribus natam esse . Neque τὸν μαναγίτην poenituit audivisse summum saeculi superioris philosophum , Ioannem Christophorum Sturmum , quem Virum Germania , Anglia , Gallia , imouniversa Europa naturae mystam sapientissimum , et Mathematicum praestantissimisaequiparandum , venerata est . Quantum in artes liberales et philosophiae scientias addiscendas studium posuerit , loquuntur disputationes cum laude defensae : altera Felvvingero praeside *de Syllogismis Imperfetis* , quam Palaestrae rationis , ab ornatisimo hoc viro publicatae , insertam legimus ; altera Mollero moderante *de Salamandra* ; quae postmodum a VVVRFBAINIO nostro aucta , in tractatus integri molem excrevit . Praeterea vero scholas sedulo frequenteravit peritissimorum artis medendi magistrorum , virorum elo- gio nostro majorum , Mauriti Hoffmanni , et Iacobi Pancratii Brunonis , per quos brevitatum profecit , ut in publico eruditorum consensu placita alia defendendo , alia oppugnando edifferere non vereretur . An tomiae sacra , corporumque internas partes et structuram , ipsi detexit amici conjunctissimi , quem praematuero sibi fato ereptum dolebat , L. Gregorii Horstii Nep. dexteritas . Ignis in corpora solidissima vim atque efficaciam , variis experimentis comprobata vidit a nobilissimo D. Ioanne Maurilio Hoffmanno , qui Serenissimis Principibus , Marchioni Onoldino , et Comiti Palatino Solisbacensi hodie a Consiliis et Archiater , LEOPOLDINAE item Academiae Naturae Curiosorum Adjunctus excellentissimus , tum in numerum medicinam docentium nondum erat cooptatus . Plantarum vires et notas explicantem audivit nunquam sine honoris praefamine nomi-

nandum, Hoffmannum Mauritium seniorem: quo favente ex viridario Academicō, in quod cunctas Floraē delicias providam Jungermannorum et Hoffmannorum curam contulisse crederes, hortorum eruditionisque flores colligit. In id enim maxime ferebatur VVVRFBAINII animus, ut singulas naturae opes studiosius rimaretur, et quidquid ubique mirandum illa ostendit, admiraretur, ac, si pote, colligeret. Ceterum quo tanto faciliorem sibi ad honores academicos aditum strueret, dissertationem *de Medicamentis ex homine tam vivo quam mortuo desuntis*, domi accurate conscriptam, publice pro virili parte, auspicio D. Brunonis, a. d. VIII Idus Novembr. A. cīo 10c LXXVII applaudentibus patronis defendit. Accenderat Eum domesticum avi exemplum, qui aetatis annum secundum et vicesimum agens Doctoris in utroque Iure honores Basileae capessiverat, ut, cum mitra Doctoris Medici se tum videre ornatum nequiret, eandem tamen aetatem vivens in candidatorum album reciperetur, non turpe esse existimans, non assequi, dummodo sequaris. Et certe non procul inde absuit, quin æquo cursu contenderet. Mensium enim quatuor interjecto spatio, videlicet a. d. VIII Idus Martias An. cīo 10c LXXVIII, postquam in examinibus consuetis rite steterat, denuo in publicum prodibat Noster, et dissertatione pro more suis auspicis defensa *de Sparganosi seu de Tumore Mammarum ex latte*, Licentiati titulo condecorabatur. Quo ornatus ab Altorfio in Belgium abiit, a Cl. Thoma Bartholino edicatus, ad Aesculapii nepotes hanc iti primis curam spectare, ut ex regionibus dulcissima exsugantur, & a sapientibus illa mutuemur, quae et mores instruant, et utilis doctrinae cumulum augeant. Neque enim omnis fert omnia tellus; nec eosdem morbos morborumque remedia unī loco natura locavit. Salutatis proīn Francofurto, Moguntia et Colonia, Noviomagum contendit, ubi tum in conventu excellētissimorum, quos universae Europae Principes summa cum auctoritate interesse voluerant, Legatorum de praecipua haec terrarum parte pacanda agebatur. Ibi non otiosus spectator sed sit; ubi maximorum virorum frequentia prudentiae Eum exemplū

exemplis augere poterat, sapientiam, rem Medico Aesculapii scipione et Mercurii caduceo magis salutarem, uberiorem acquisivit. Non ludicris horas impendit, id quod juvenibus alias sollemne esse, Bartholinus prudentissimus, singulare Daniæ ornamentum, conqueritur, non amoribus intempestivis, non compotationibus, non aleis, non ornatui: sed amoenis philologorum et antiquariorum studiis dedicavit, quibus se Medicus gratiosum et politum reddit. Igitur a Cl. Smetio, antiquitatis omnis promo condo, impetravit, ut pretiosae vetustatis conditorum, quod instructissimum servabat, accuratius lustrandum panderet. Amoenissimum tum Cliviae florebat viridarium et arte daedalea maxime conspicuum, et plantis, animalibus aliisque ex altero orbe hue translatis superbiens. Ejus visendi cupidus incessit VVVRFBAINIVM nostrum: et felici auspicio iter cum veteri amico, Abrahamo Ernesto, dynasta hereditario in Osterhausen, Equite Misnico, ingressum, Serenissimus Mauritius Nassoviensis, qui in Brasilia quondam summa cum potestate curaverat, submississime alloquendi honore dignatus est. Ita videlicet in interiora Principum quoque conclavia virtus se insinuat! Hinc reliquas Belgii urbes, in quibus praecipuae Arnhemium, Trajectum ad Rhenum, Amstelodamum, Dordracum, Roterodamum, itemque Brabantiae Antverpiam et Bruxellas, curioso oculo lustravit. Inde Selandiam, mox Flandriam petiit: denique Novo Portu solvens spatio unius diei in Angliam d. 26. Augusti felicissime trajecit. Londinum ingressus, cum gravissima ilico febre conflictabatur, ita ut spes salutis nulla superesset. DEI tamen virtute et sedula cura humanissimi D. Kinghii, quem in Societate Anglicana illustrissima locum obtinuisse comperimus, morbo liberatus, regiam Collegiorum, Bibliothecarum et Hortorum magnificentiam Oxoniae, et si qua praeterea Tempe florabant illustria, contemplabatur. Reditum in Belgium cum meditaretur, et vero navigatione hiberna admodum periculosa aliquot naves periisse ipsi Harvici nuntiatum esset, cursum flebat, Dubri navim consensurus. Sicque sub anni sequentis pri-

primordio Novus Portus sedulum nostrum peregrinatorem auspicio iterum excipiebat. Hinc Brugis, Gandavo, Antverpia Lugdunum contendebat, cuius humanitas diutius eum retinens, non nisi praeclaro mercaturaे literariae quaestu ditatum dimittere poterat. Ibi ergo Cartesii dogmata, quae Altorf I degustaverat, penitus imbibebat; corporum humanorum compagem, artificiosissimum miraculum, Drelincurtio enarrante, curiosus perquirebat: in medicamentorum compositionibus, quibus praecipua Medici virtus dignoscitur, le Mortio duce, operabatur: Chymiae arcana Maetius revelabat: ut ferro et igni vulnera sint sananda, quotidie in valetudinario oculus, et domi operatoris cuiusdam periti vox docebat. Horti Lugdunensis, qui primas inter omnes obtinet, Gratias et Veneres, morte D. Syenis contristatas, contueri nunquam cessabat. Inter has medicinae operosioris curas non destitit contemplative partes de-nuoductu Cl. Craanii sibi familiares reddere, ne his veluti substructionibus carens universa moles ruinosa fieret, et inopinato laberetur. Crederes vix integro anno quenquam tot tantosque labores potuisse exantlare, quantos ὁ μαναπίτης paucorum mensium spatio feliciter absolvit. Poterat igitur hoc thesauro beatus de reditu cogitare. Penes ipsum quidem si stetisset, maluisset utique diutius ibi haerere, ubi tam insignis bonarum artium messis restabat. Proinde ut vel in itinere, mercaturaे, a qua recesserat, desiderium levaret, Herois fortissimi, Guilielmi, Principis Arausisionensis, postea Regis Anglorum gloriosissimi, Tempe amoenissima admirabatur, animantium, quas India misit, contuitu delectatus. Delfis Leewenhoekium, quo neminem aetas nostra subtiliorem aut perspicaciorem tulit, conveniebat. Amstelodami per aliquot hebdomas haerens, artis naturaeque gazas, quarum non alibi plures ex omni terrarum orbe congettatas scimus, magno cognitionis rerum naturalium incremento, avidis oculis contemplabatur: Blasio operatori haud incelebri, et Fischero, Hygeiae mystae felicissimo, addictus, Nosocomia frequentabat, et decumbentium lectis aderat. Tandem Nardemo, Osnabruga, Minda, Hamburgo, Helmstadio, Lipsia Norim-

bergam propitiis Vialibus rediit; ubi adeo benigne exceptus, ut eodem adhuc anno in Collegium publica auctoritate medicinam facientium cooptaretur, postquam Doctoris titulo Altorfium Eum condecorasset, debitumque virtuti praemium et laboris fructum tribuisset. Iustus me corripit dolor, cum honorem, divinum illud donum, in immetentes hodie toties conferri video: quandoquidem reipublicae metuo, quam detestatur Achilles, quae aequalem fortibus et ignavis honorem tribuit. Fortasse antiquitate se commendat mos iste perversus? Occuparat pro dolor! haec pestis ab eo statim tempore Academias, quo primum virtuti laurea neccebat, ut *nulla paene progressum in artibus habita ratione*, quivis ad honoris fastigium adscenderet. Parisienses tamen doctores et Oxonienses inter primos hanc ab omnibus bonis gratiam inierunt, ut testante Antonio a VVood in Historia et Antiquitatibus Vniversitatis Oxoniensis, *neminem ad gradum aliquem admitterent, nisi qui in Artibus alicubi rexerit.* Quid ergo? Sperabimus, fore aliquando, ut et illi, penes quos decernendi de titulis honorum jus est, clarissimis hisce veterum exemplis incitati accuratius posthac in candidatorum merita inquirant, nec promiscue omnibus Honoris templum aperriant, quos in Virtutis aede vel nondum vel minus recte stetisse cognoverunt. Sed ad VVVRFBAINIVM redeo, Ejusque modestiam veneror, qui non prius decora petiit, quam Ipse laudibus jam decoratus jure suo repetere poterat. Ordini igitur publice medentium adscriptus eam sibi legem dictam putavit, ut nemini aditum intercluderet, nec inopi, nec peregrino; omnibus obvium iret, omnes comiter, placide et benigne audiret. Indigeni maxime manu vitam tolerantes, verbis utor magni Ioannis Antonidae Lindenii, quoniam his sub manuum feriis non molunt moltores. Talibus non adesse auxilio, est opprimere. At qui opprimit tenuem, probro afficit opificem eius. Vtinam ad animum revocarent, qui locupletibus assurgunt, et pauperes diem jubent ad fores praestolari! De morbis morborumque genere prudenter differebat, et in eo potissimum peritiam suam probabat, quod vera indagare nunquam pigeret, quod de obscu-

ris et difficillimis non temere pronuntiaret, signa caussarum in abdito latentium considerate perpenderet, remedia optima feligeret, opportunitates curandi haud praetermitteret. Quibus virtutibus si addideris singularem, qua DEV M O. M. religiose colebat, pietatem ejus, ut divino suo auxilio clementissime adeseret, ardenter orantis; quid amplius in Medico desideraveris? Vtiam multi hujus similes in orbe Medici florerent! Sed vereor, ne veterem Coi querelam jure iterum ingemiscamus: Medici nomine quidem multi; re ipsa vero perpauci. Heic loci silentio praeterire nequeo, Beatum Nostrum illos, quos collegii necessitudo conjunxerat, summo semper studio coluisse, omniumque animos comitate et benevolentia ita sibi devinxisse, ut ipsum singuli amarent, colerent, ejusque commercia ambirent. Nullum enim vinculum consociandis hominum animis validius, nullum magis durabile, quam probitas et humanitas. Itaque omnium voluntate honores Ei Visitatoris et Decani, utilloquuntur, ex ordine aliquoties delatis sunt. Et Ioannes Georgius Volcamerus, Senior, exquisitissimi judicij vir, quem Apollinis Mystam, Musarum corculum, Florae delitium, priscique candoris exemplum, eruditorum lumen, suo merito salutarunt, tanti VVVRFBAINIVM fecit, ut in dignitatis gloriaeque societate sibi adjungi cuperet; adeoque u'tro hortari non destitit, dum expedita ab illustri Ioanne Michaële Fehrio, Praefide Academiae gravissimo, collegii jura, addito Hermetis II. agnomine, anno c: 15cLXXXI consequeretur. Neque intra hoc substitit Volcameri erga Nostrum favor singularis; sed cum Praesidis postmodum dignitate ipse auctus esset, et vero aetate provectione laboribus ferundis impar em fuit; VVVRFBAINIVM suum laboris socium sibi optavit, et in curarum pro Academiae salute partes adscivit, Adjuncti, uti loquuntur, honores in Eum anno c: 15cLXXXVIII. conferendo. Quo ipso, dum observationum publicandarum indefessam curam agebat, gradum sibi subixit, ut, eminentissima Praesidis dignitate in meritissimum Lucam Schroeckium, Filium, quem rerum medicarum arbitrum sapientissimum D E V S servet!) communi omnium suffragio

delata, ad Directoris Ephemeridum, Archiatri Caesarei, S. R. I. Nobilis, et S. Palatii Lateranensis Aulaeque Caesareae et Imperialis Consistorii Comitis, fastigia evehetur. Testatur disertissimus Romanorum Tullius: Ex omnibus praemiis virtutis amplissimum esse gloriam, quae vitae brevitatem posteritatis memoria consolatur; quae efficit, ut absentes adsimus, mortui vivamus. Vivet ergo VVVRFBAINVS. quamdiu Academiae fama vigebit: haec autem, quam omnes Europae gentes celebant, nunquam intermoritura est. Vivet VVVRFBAINVS, quamdiu eruditissima Academiae monumenta publice exstantia legentur: quippe cuius auspiciis postrema Ephemeridum Decuria, itemque penultima maximam partem, prodierunt. Vivet in reliquis ingenii monumentis, alibi commemorandis; quorum plura utique exstant, nisi aegrorum lamenta ipsi obstrepissent, curasque omnes avocassent. Vivet denique in literis et eorum animis, quos absentes amico colloquio saepius recreavit; atque in illis quidem tanto diutius vivet, quanto certior imago est epistola, et typus ab ipso auctore accurate impressus et depictus, qualem nec Apelles describere valet. Bene multae earum delitescunt apud illustres Archiatros Caesareos, Danos, Prussos, Moguntinos, Colonienses, Trevirenses, Hildesianos, Isenacenses, Vürtenbergicos: aliae asservantur a Professoribus celeberrimis Basileensibus, Giessensibus, Kiloniensibus, Regionis montanis: aliae a Medicis praestantissimis Amstelodami, Annaeberga, Arnstadii, Augustae Vindelicorum, Delitii, Graecii, Suinfurti, Ulmae, Vratislaviae, alibi cum multa laude degentibus acceptae. Ex his si retrahere illas in corpus contingeret, aere perennius monumentum, pyramidumque situ regali altius extrueretur. Tanta autem licet nostrum gloria secuta sit; non tamen elatus ideo incessit, nec superciliosus alios contempsit. Tot tantosque honores consecutus, ab omni ambitione prorsus liber erat et immunis; memor nihil magis invidiae esse expositum, quam honoris contentionem. Imo cum honorifica docendi in Academiis provincia ipsi bis offerretur, oblatam modeste sua forte contentus recusavit, maximum e studiis fructum se percipisse

cepisse judicans, si domi latitans quamplurimis prodeisset. Atque hunc finem intentis semper oculis ita respexit, ut, cum rariora naturae inventa reponeret, haec quoque non tam sibi quam aliis se colligere frequenter dictitaret. Et certe, cum tot annos ab istoc rerum naturalium studio Eum nullo unquam tempore aut commodum aut otium aut voluptas avocarit; illud naturae compendium magnopere creuisse, facile quivis intelliget Nihil tamen ita sibi servabat, quin cui libet, peregrinadventanti aequa ac vicino, notis ignotisque, expromeret, quae voluptati singulis futura, usuique publico inservitura senserat. Vnde ingens numerus erat eorum, qui Ipsum subinde adirent: et hi omnes si non alium, oculorum saltem fructum, ex illo rariorum conditorio percipiebant; singuli vero comi docto que alloquio satiati recedebant. Texerem hic indicem rerum praecipuarum, quas ipse olim voluptate perfusus inspexi; nisi arctiores commentationis institutae limites mihi posuissent, quos ne egrediar, plura sunt quae suadeant. Lectoris autem Benevoli humanitate confisus, ad vitam privatam, postquam de publica satis multa dixi, enarrandam propero. VVVRFBAINIVS in Medicorum Noricorum Societatem, uti dictum, admissus, suamque operam diro morborum agmini infestis addicens, curam rei domesticae sibi obesse sentiebat. Conjugii proin fœdus icit, fibique ad sociavit virginem formae elegantia virtutumque decore commendatissimam, MARGARETAM, Daniele Trautnero, primi ordinis mercatore, ortam, quae Conjugem optimum sibi erectum Vidua nunc maestissima luctu squaleret. Illud auspicio divino, cognatorum concessu initum, divina præconis caelestis manu et voce firmari curarunt ipsis Calendis Martii A. c. 10 LXXXI, summique Numinis præsentiam orarunt, exorarunt. Etenim non tantum concordes et sine jurgio vixerunt, tenerimoque se invicem amore sunt complexi; sed et castissimi amoris pignora charissima viderunt tres filios, quorum unicus fatis immaturis concessit, et filias binas. Hos natos natasque ad omnem virtutis cultum tempestive erudierunt, et ut patris matrisque aemuli horum im-

ginem referrent, effecerunt. Dicin non potest, quantum praeclarorum indole et ingenii ad optima quaeque factis gavisi sint parentes amantissimi; maxime cum educationis fructus dulcissimos ex illis jam adultis perciperent. Viderant filiorum alterum, *Fridericum Sigismundum*, anno saeculi elapsi secundo et octuagesimo propitia Iunone editum, Doctoris Medici gradu insignem, et Parenti Collegam exoptatissimum datum. Viderant filiam natu maiorem, *Benignam Magdalenam*, feliciter nuptam Zachariae Volmario, mercatori, (cujus quidem ordinis homines et honestissimos et ornatissimos firmamentum ceterorum ordinum esse recte dixerimus;) et *imperfectus adbuc infans genitricis in alvo* spem dabat nepotum. Viderant *Annam Margaretam*, virginem pudicam, obsequiosam, lectissimam. Viderant *Tobiam Danielem*, optime efflorescentem, Legumque ac justi injustique studia sedulo excolentem, adeo ut illius coniugio, hujus honoribus academicis brevi denuo felices videri potuerint. At enim vero major natu filius tot inter res secundas luctus causa fuit. Is enim anno hujus saeculi decimo acerba morte abreptus parentem dilectissimum, quem non nisi suo hoc discessu contristaverat, unius lateris sideratione decumbentem vehementer commovit. Et quidni commoveretur parens? cuius aetas ingravescens in amore atque in adolescentia filii conquiescere cupiebat. Jam demum fructus educationis solicitae se mesurum sperabat. Sed eheu! et arborem et fructum cecidisse utroque orbatus conquerebatur. Quilibet conjectando facile assequi valet, quantam facultatum omnium stragem τῷ μακάρῃ minatus fuerit, imo intulerit tristis ille de morte filii charissimi nuntius; qui perpendet hujus ornamenta et obsequia, illius paternum plane amorem. Convenerant antea Eum plurimi, qui omnes summis natum laudibus ad caelum extulerunt, parentemque in societatem gloriae venisse, gratulati sunt: jam citius illum defloruisse, dolent, et una cum Patre maestissimo ipsius misericordiam deflent. Inter tantos casus nihilominus facile se erexit, neque animi neque corporis doloribus succumbens; quamquam vires corporis multum jam essent exhaustae. Accedebat, quod non

non adeo firmo vegetoque corpore esset praeditus: crebrioribus enim valetudinis adversae incommodis erat obnoxius, licet muneris mandati officia nunquam non obierit. Atque eo magis mirum, animi vii iibus Beatum se diutius sustentasse. Illud quidem ipsum, quem exitum res sit habitura, ei praefigiebat; mensium tamen aliquot spatium intercessit, antequam plane deficeret. Quo tempore dulcissimae Conjugis virtutes, quas semper maximi fecit, pietas, patientia et in sufferendis malis constantia, amor item conjugalis tenerissimus clarissime eluxerunt. Nunquam a ferali mariti lectulo recessit, curamque omnem adhibuit, ne quidquam desset, quod valetudini pristinae recuperandae idoneum judicabatur. Conjugis itaque bona exemplum praebuit; et re atque opere simul confirmavit, artes amori conjugali reique familiaris administrationi minime obesse; sexum potius sequiorem iisdem magis amabilem reddi. Hoc loco temperare mihi haud possum, quin meritissimas feminae ingeniosae laudes commemorem. Ea quippe arte Daedalea inclyta vel Arachnen superat,

*Seu digitis subigebat opus, repetitaque longo  
vellera mollibat nebulae aequantia tractu;  
seu pingebat acu; scires a Pallade doctam.*

Picturas varias acu factas, praesertim animalia et aves ex serico affabre efformatas, aliaque ejus artificia Viri Principes admirantur, eademque reliquis, quae studiose asservant, arte factis adjungenda expetunt. Adeo scite omnia manus perita dicit, ut vivere videantur. Nec ullius velocior in pictura manus est: artis vero tantum, ut multum manipretio antecedat non tantum mulieres, quae pinxere, Timareten, Irenen, Lalam, Plinio laudatas; sed et celeberrimos quesque imaginum pictores. Parrhasio Zeuxis palmam concessit: VVVRFBAINIAE Parrhasius, si viveret, palmæ gloriam sponte adjudicaret. Sed ut nostra oratio eo, unde egressa est, revertatur, quae de HERMETIS valetudine et beato obitu paucula restant, memorabo. Fortis, uti diximus, animo calamitates cunctas pertulit, certissimumque contra istas remedium ex aeterno DEI verbo, fonte illo salutis, petens, omnem doloris vehementiam levavit. Membrorum quidem omnium, pedis praecipue sinistri, linguae item et memoriae usus impeditus et quadantenus solitus erat: At neque hoc Eum ab amore divino, quo a puero capiebatur, sejungere valebat. Saepius ingeminabat: Fatiscat licet hoc corpusculum, deficiat cor meum; mei cordis numen est, meaque conditio, DEVIS in perpetuum. Cum d. XII. Ianuarii A. c. 15 100x1. malum augeretur, et paroxysmus apoplecticus ultimum vitae terminum instare minitaretur, fidelissimus voluntatis divinae nuntius, qui animae hucusque curam gesserat, Ipsi praefto aderat, solatioque erigebat. Aderat etiam morbos Phoebaea arte pellere edoctus Machaon. Omnes vero illius quam hujus auxilium praestabilius, et τὸν μαχεῖτην ad stationem summi Numinis iussu deserendam paratissimum intelligebant. Perstinx hac mentis et voluntatis alacritate etiam posterodie, quo levata

levaminis nonnihil sentiebat: adeoque cum circa crepusculum mors imminet, promptum Eum offendit atque paratum. Integer namque sensuum, loquelam si excepérat, usus ipsi erat, usque dum animam, pretiosissimum depositum, DÉO, a quo acceperat, secunda post solis occasum hora redderet, cum vixisset annis LV. et mense unico. Atque ita VVVRFBAINIVS integerrimus, Vir omni laude major, beate finivit, nobisque triste sui desiderium reliquit, nobilissimae cumpromis Viduae liberisque orbis, quorum hi parentem se indulgentissimum, illa Conjugem optimum amisisse conqueruntur. Solutia et fomenta summorum dolorum Divina Clementia ipsis afferat, luctumque et luctus causas benignissime allevet et cum die minuat. Nos vero nos ipsos consolemur, et quidem illo maxime solatio, quod dulci consuetudinis recordatione semper una esse, doctoque Ejus etiam defuncti colloquio frui possimus. Denique uti vitae laudabiliter aetiae memoriam scriptione hac conservare studuimus: ita vultus quoque memoriam mortalitati eximamus, veterum Romanorum, qui in bibliothecis auctorum imagines dedicarunt, laudabili exemplo, VVVRFBAINII effigiem aere sculptam suspendentes. Piis Viri optimi Manibus parentaturi adscribimus:

VVVRBAINI. HAEC. FACIES. DIAM. VIS. NOSCERE. MENTEM.  
HERMES. INVENTIS. ARTEQVE. PHOEBS. ERAT.

### *Scripta, praeter Disputationes Academicas in Memoria allegatas, existant sequentia:*

Epiſtola ad Amicum Anonymum, qua nonnulla, in D. Ioannis Hiskiae Cardinucii Germanico idiomate nuper demum edito Tractatu de Peste contenta, ad examen revocantur. A. 1679. f. 12.

Salamandrologia, seu Descriptio Historico-Philologico-Philosophico-Medica Salamandrae, quae vulgo in Igne vivere creditur, S. R. I. Academiae Naturae Curiosis exhibita, atque novis aliquot Capitibus, experimentis figurisque eleganter aeri incisis, nec non Rerum et Verborum Indice adiuncta, A. 1683. f. 4.

Ioannis Sigismundi VVvrbainii Itinerarium, quo Indiae Orientalis variis tractus, incolarum mores, plantae, animalia, plurimaque negotiatorum arcana, idiomate Germanico recensentur. A. 1686. f. 4. cum figuris aeneis.

Index Generalis Rerum Memorabilium. Decuria I. et II. Ephemeridum Germanicarum Academiae N. C. ab A. MDCLXX. usque ad A. MDCXCII. cum serie Auctorum alphabeticā, adjectis Observationum et Tractatum Indici huic insertorum titulis. A. 1695. f. 4.

Edidit praeterea ἀρούριως duos Tractatus Oeconomicos, et tertium Politicum. Inter opuscula affecta Tractatus de Terra Sigillata fere ad umbilicum perductus est.